



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. IV. Inter Literas in virtute plurimum proficit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

quid ex oratoria, Poëtica, & ceteris liberalibus Disciplinis, quibus excellenti quodam in gradu imbutus erat P. Sfortia, ad eam functionem faceret, pronissimâ voluntate communicando.

## §. IV.

*Inter Literas in virtute plurimum profecit.*

**I**N perdiscendis Disciplinis nihil optimus Invenis de solidarum virtutum studio remisit, etsi id non parùm difficultatis habeat tam studij ipsius naturâ, quod animum totum ad se trahit, quàm sociorum in eadem palæstra æmulatione, quæ vanitatem gignere solet. Dicam tantùm, ut inde colligantur cetera, solitum illum flagris in se tam dirè animadvertere, ut cogeretur aliquando alienâ uti operâ ad tergum flagrorum idibus lacerum percurandum. Aliàs peccatoris venâ ruprâ tantum sanguinis egressit, ut is, cui ægrorum cura credita erat, assereret, neminem unquam aliàs sibi oblatum, qui tantum vomuisset. Inquisitum est in ejus mali causam, & deprehensum, natum id ex nimis quibusdam & parùm prudentibus conatibus, quibus Juvenis & pervincere se ipsum corpus affligendo, & DEUM amare studuerat; ad id provocatus à socio ejusdam palæstræ Theologicæ, quocum ipsi contentio fuit, quisnam eorum crebrius & intensius ejusmodi actibus uteretur. Unde negari non potest, meritò illum à Domus Ministro occasione quapiam alterum Beatum Aloysium appellatum, P. Sfortiam Pallavicinum verò festivo in eum Anagrammate lusisse: *Paulus segnerus. Purus Angelus es.* Ad rem istam magis affirmandam præclarè facit testimonium P. Josephi Agnelli, quod litteris consignatum penes me est. Quis autem vir sit

P. Jose-



P. Josephus, cujusque Authoritatis, satis loquuntur libri, quos typis in publicam lucem dedit. Rogatus, inquit ille, ut, siquam haberem de rebus P. Pauli Segneri, felicitis recollectionis, notitiam, eam cum aliis communicarem; assero, notum illum mihi fuisse antequam Societatem nostram ingrederetur, sæpe me cum eodem egisse, sæpe me tum publico in theatro aliquam cum ipso sustinuisse personam, tum aliis seu sacris, seu litterariis functionibus interfuisse. Præterea Societatem paucis post ipsum diebus ingressus sum anno 1637. vixique semper cum eo tam in tirocinio, quam subinde in Collegio Romano, dum Rhetoricæ primùm, mox Philosophiæ ac Theologiæ operam daremus; insuper in tertio Probationis anno: toto autem hoc tempore non memini, me in ullis ejus vel factis, vel verbis notasse quidquam, in quo venialem, quamlibet levem noxam inesse existimarem. Insuper cum curiosè in ejus vivendi rationem intentus essem, multa ab eo præclara exempla virtutum accepi, maximè postremis Theologiæ suæ annis, quibus multò exactiùs ad perfectionis normam vitam exegisse notatus est, sic ut omnes eximiè ædificaret, multùmque se ipsum, & innocentem, quam eatenus tenuerat, agendi methodum superaret. Eminebat hoc sublimioris perfectionis studium tam in loquendo, quàm operando ad amussim domesticæ nostræ disciplinæ, tam in externa totius corporis conformatione quàm in interna habitudine, quatenus illa externis se indiciis prodit. Universim eam de P. Paulo existimationem habeo, quòd re vera fuerit magnus DEI servus, & omni veneratione dignus. Hæc P. Agnellus.